

nam Scripturae praeponere. Nec enim siue in articulo de praesentia corporis et sanguinis Domini in coena, seu in vniuerso argumento de absoluto decreto, et omnibus, quae inde dependent, controuersis, vllam aliam vel allegant, vel allegare possunt causam, cur a clara Scripturae littera recedant, quam, quod illa, si in litterali proprioque suo sensu relinquatur, rationi sit aduersa.

*Fanaticorum  
confutatio*

§. 25. ANABAPTISTAE, QUACKERI, imprimis BARCLAIVS, et cum iisdem hodierni *Fanatici*, ceu constat ex §. XIX. superiori, Scripturam Sacram partem tantum et reuelationum diuinarum et principii theologici faciunt, et illi praeterea Spiritum Sanctum ab eadem plane separant, et in quemlibet priuatim influere, verumque reuelationis sensum largiri, docent. Argumentum praecipuum ducunt ex Io. V, 6. *Spiritus testatur, quod Spiritus sit veritas.*

*Resp.*

Spiritus intelligitur in Scriptura latens et per Scripturam testans, quod Spiritus iste ipse sit infallibilis veritas, eo modo, quo lux in sole latens, testatur, cum in oculos illabatur, quod sit lux vera et non spuria.

*Contra Calixti  
Confessionem  
quinque  
secularem.*

§. 26. Inter Theologos Augustanam Confessionem professos, D. GEORG. CALIXTVS, ceterique Theologi Helmstadienses, duplex faciunt principium Theologiae, vnum **primari-**